

Q.K. 149, 27.

Yc
3670^a

X 2019362

FATA
RECTORUM
LAUBANENSIUM.



35.



C *Aspar Capelus*, Laubanus, per 13. annos Ludimagistri officio functus, A. C. 1539. in numerum Senatorum cooptatus fuit.

II. *M. Martinus Cnemiander* (Germanicè *Hofemann*) A. 1540. denominatus est Rector, sed Ao. 1553. ex hac in Budissinensem Scholam ad capeffendos fasces Rectorales vocatus, abiit.

III. *Martinus Regulus*, unius anni LudiMagister, Pastoratum Geibsdorfensem felix obtinuit.

IV. V. VI. VII. *Gregorius Albinus*, *M. Moses Neander*, & *Lazarus Scherdinger*, Spartam suam usq; ad extremum vitæ halitum exornarunt: *M. Joachimus Meisterus* autem, qui ab Albino lampada susceperat, eandem dicto Neandro tradens, maturè Laubanensem cum Elbingensi Rectoratu commutavit.

VIII. *M. Adam Closius*, Leobergensis, Anno 1567. suscepit in se provinciam Moderatoris, triennio autem vix dum absoluto Lehnam ad Rectoratum ibidem obeundum concessit.

IX. *M. Petrus Cellarius*, Glauchhanensis, rei Scholasticæ quidem ab A. 1570. egregiè præfuit, sed A. 1574. nescio, ob quas causas, rursus decenter valedixit.

X. XI. Cellario successit *Wenceslaus Scheidenreisserus*, Budissinensis; Scheidenreissero A. 1576. *Tobias Polus*, Joachimicus. Nempe quia priori Status Laubanensis t. t. non admodum arridere videbatur, aliorsum is migrans, posteriori succedendi copiam fecit. XII.

XII. *Abraham Crause* surrogatus est *Tobiæ Polo* A. Christi 1578. qui inter alios celebrem quoque *Martinum Boehmum*, Ecclesiæ *Lauban.* postea Pastorem optimè meritum, Collegam habuit.

XIII. A. 1580. promotus fuit *Melchior Eccardus*, Chemnicensis Misnicus, (ad postremum Pastor & Superintend. Olsnensis in Silesia,) sed eodem anno unà cum Collegis duobus, *Martino Widemanno*, & *Gregorio Vorberg*, incertum, ob quas causas, à Senatu rursus depositus.

XIV. *M. Caspar Janitius*, Budissinensis, antehac Curiaë *Löbaviensis* Notarius, A. 1580. tutari coepit *Spartam* à *M. Eccardo* vacuefactam, quinquennio autem præterlapso & ipse aliam sibi quæsit sedem.

XV. Idem fecit *Johann. Leo*, Gubenensis; Quos enim fasces A. 1585. susceperat, eos A. 1587. rursus deposuit.

XVI. A. 1587. *Paulus Frisius*, Diaconus, vocatus est ad Rectoratum, quem per quinquennium cum fructu sustinuit.

XVII. A. 1592. Scholæ *Laub.* habenas tractare coepit *Georgius Sartorius*, hætenus Scholæ *Löbav.* Ludimoderator: Vir, sicut *Annales* testantur, apprimè doctus & de Juventute Scholasticâ egregiè meritus; justo tamen, ut ferunt, curiosior, & propterea rursus ab officio suspensus.

XIIX. Sartorium excipiebat *Melchior Hausius*, Zittanus, P.L.C. & Notarius C. Publ. qui iterum unà cum Collegis, *Georgio Kirchhoff* / *Caspere Ellinger* / & *Adriano Hofflung* A. 1621 simul & semel à Senatu dimissi fuerunt.

XIX. *M. Urbanus Scultetus*, *Laubanens.* ab A. 1621. usque
ad

ad annum 1632. strenuè functus est Officio suo; Rector, ut testatur Epitaphium, Scholæ parietibus affixum, fidelissimus, Juventutis Informator felicissimus: peste extinctus unà cū Suis.

XX *M. Martin. Gerberus*, Laub. P. L. C. quam sub auspiciū officii sui A. 1632. mercatus fuerat gratiam, ad ipsam propemodum vivendi pausam usq; feliciter tutatus est. Omnes Antecessores bene merendi studio post se reliquit; hoc unico infelix, quod Censorem quendam t. t. passus fuerat gravem.

XXI. In Gerberi partes successit A. 1665. *M. Christophorus Schwartzbach* / antea SubR. nunc Rector, qui biennio duntaxat absoluto, vitam cum morte commutavit.

XXII. *M. Martino Seidemann* / Löbaviensi, oblata est publicè Scholæ regendæ potestas A. 1667. mense Julio, quam etiam, licet variâ fortuna jactatus, non nisi cum vitæ fine A. 1687. laudabiliter resignavit.

XXIII. *M. Georgius Wendius*, Vratislaviensis, hactenus illustris Collegii Olsnensis Professor, & Scholæ Oppidanæ ibidem Inspector atq; Director, A. C. 1688. Mense Junio B. Seidemanno Successor datus, Scholam, quam propemodum desolatam acceperat, A. 1695. Mense Majo (quo rursus ad Rectoratum & Professionem in Gymnasio Thorunenfi Academico capessendum evocatus fuit,) floridissimam reliquit.

NB.

E collatione institutâ patescit, novem Rectores in statione sua diem supremum obiisse, undecim alios suâ sponte valedixisse, tres quoq; ab Officio remotos fuisse.



VAT 7
30 70
G
m

Q.K.149, 27.

REC
LA

UM
UM.



X 201 9362

35.



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

